
Ius criminale in Polonia

Prawo ~~1145.~~ 1152

Modrevii (Fricii): Ad Senatum, Equites, populumque Polonum Oratio secunda de poena homicidii, Addita est Oratio Philaletis etc.

ex off Matthiae Scharffenb. Cracoviae 1545.



V
B
I
C

AD SENATUM, EQUITES, POPULUMQUE POLONUM, ANdreæ Fricij Modreuij oratio ſecunda de pœna homicidij.

addita eſt

ORATIO PHILALETIS

Peripatetici, in Senatulo Hominum Scholaſticorum, de Decreto conuentus, quo pagi ciuibus adimi permittuntur, habita. M. D. XLIII. Kal. April.





PETRVS ROYZIVS MAVREVS HISPANVS EX TEMPORE AD FRICIVM SVVM.

Ergo tuus, Frici, contemptus Lascius ibit.
Consiliumq; uiri? nihil oris grande diserti
Proderit eloquium, ratio nihil, omnia frustra?
Omnia queis tollenda fuit lex, sanguine gaudens,
Exultans lex cæde uirûm, cæde omnia complens.
Altera cuius habet iugulum manus, altera ferrum
Quod strictum sonti pro paruo porrigat ære.
Factum immane, Potes, Frici, ferre ista? nec iram
Sanguinolenta tuam lex sentiet, omnibus una
Digna odijs, magnis odijs & uindice sæuo.
Stringe iterum, Frici, calamos, armare ueneno,
Ima petat penetretq; infusum uiscera, postquam
Numina nil meliora iuuant, Acheronta mouendum.

moueto

AD SENATVM, EQVITES, POPVLVMQVE POLONVM, ANDREAE FRICII MODREVII ORATIO SECVNDA DE POENA HOMICIDII.



Ouum possit hoc & inauditum videri vobis Senatus amplissime, vobisq; reliquis nobiles ac honestissimi viri ordinum omnium, me hominem in tenebris educatum, ad vos qui In Reip. versamini clarissima luce verba facere velle: Verùm rationem mei facti puto neminem esse improbaturum qui secum reputauerit, Remp. id ab omnibus studiosis iure suo poscere, vt quantũ quisq; possit, tantum in salutem eius conferat ac dignitatem. Cui enim literarum studia in

primis seruire debeant, quàm Reip. & religioni Dei immortalis? his presertim temporibus, hiscꝫ hominum moribus, cùm res ad pernitiem procliues quotidie magis labi videantur. Quamuis autem nos & in hoc studiorum genere progressus fecimus perexiguos, & in rebus agẽdis admodum parum versati sumus: Tamen cùm hęc oratio à nobis instituatur de pœna homicidij, re sermonibus omnium peruulgata & percelebrata, spero vos hanc nobis daturos veniam: qui à rebus magnis, grauibus, & operosis abstineamus: eas tractemus quę expeditę sint, faciles, & in medio sitę. Necꝫ verò illud ignoro qui in tanto hominum sapientissimorum conuẽtu de re qualibet orationem habere velit, eum nihil huc nisi singulari prudentia & eloquentia elaboratum afferre debere: à quibus rebus quantum absim, sum mihi conscius ipse: Tamen humanitas vestra eximia, heroicis viris digna, sperare me facit vos in bonã partẽ quę dixero accepturos: necꝫ tam orationẽ ipsam, quàm studium de Rep. benemerendi nostrum esse complexuros. Cupimus enim, si quid ingeniolo vel nonnulla diligentia consequi nobis licuit,

bis licuit, id in Reip. ac religiõis vsum, quãtum res ferant, conferre: ne in tanto studiosorum prouentu mea vnius opera desit Reipublicę. Composuerã anno superiore non tam pro rei dignitate quàm pro virili parte de pœna homicidij oratiõem. Eamcꝫ Hieronymo Lascio clarissimo ac fortissimo viro tribueram sententiam in Senatu dicenti. Etsi autem in ea ipsa oratione omnia ferè (vt videor) quę in hanc causam conuenire poterant, tractaui argumenta: conatus sum quidem certe: Tamen quoniam res ad exitum perducta non est, putaui me non inepte facturum si adhuc de eadem re ad vos verba facerem: atque ea quę in mentẽ mihi postea venerũt adderem: vosqũe hortarer, velitis quoque ipsi ad iustissimã Lascij sententiam (quam ego paucis antè diebus de illo audiui, quàm ex hac vita migrasset) vestras sententias adiungere. Necꝫ verò vnius Lascij est illa sententia: sed & multorum in hac Rep. principum: multorum denicꝫ virorũ virtute & doctrina prę stantium: in primis verò Regis vtriuscꝫ inclyti nostri: nam & Sigismundi Augusti iudicium perspicuum vobis esse potest ex illa Las

la Laſcij oratione: & huius patris Sigiſmũ-
di primi voluntas & ſententia nemini veſtrũ
eſt ignota : cũm quidem & ad conuentus
municipales multoties ſcripta & in omniũ
ordinum frequentia perſępe dicta ſit, ac pu-
blicis literis cõſignata. Nobis quidem prin
cipes illę voces optatiſsimę eſſe viſę ſunt, at-
que ad rem conficiendam maximum pon-
dus afferre: cum quibus & prudentium vi-
rorum conſenſus omnium ętatum, & popu
lorum omnium ſcita decretaq́, & oraculo-
rum cœleſtium authoritas concordaret.
Quo magis dolẽdum nobis eſt, vos ad hũc
diem flecti non potuiſſe tanta tamq́ mirifi-
ca conſenſione. Clamabant per dies comi-
tiales annis pręteritis voluntatis diuinę prę-
cones ẽ ſuggeſtis de homicidio capite ple-
ctendo. Oſtendebant, multis veſtrum in
ſacra ęde pręſentibus, non aliam pœnam le-
ge diuina ſanciri. Commendabant cauſam
hanc precibus publicis Deo immortali, vel-
let ille flectere corda veſtra ad iuſtitiam.
Erant in magna ſpe Eccleſię omnes, non fo
re vanas preces ſuas. Verumenimuero ex-
ciderunt prorſus ſpe illa, vbi pœnam ſtabi-
liri vidreunt: qua vita hominum, certo pre-

cio ęſtimata, proſtaret etiamnum, & in quę
ſtu haberetur. Indoluerunt honeſti & pij
viri fatis ſuis cũm vitam ſuam pecudum in-
ſtar pecunię faciendę expoſitam adhuc vi-
derent. Ingemuerunt muneri officij veſtri
quod â verbo Dei cognoſcerent alienum
eſſe. Quęſtę ſunt Eccleſię omnes, ſpes ſuas
& preces ad deum publicas fuiſſe vanas.
Prorumpebant in lacrimas cordati viri, qui
hoc putarent tempus eſſe miſerum illud &
extremum, quo homines ueritatem elucen-
tem opprimentes, pręferant ſua decreta di-
uinę authoritati, populorum omnium pla-
citis, at hominum prudentum ætatũ omniũ
conſpirationi. Quid eſt enim quod â pœ-
na capitali in homicidas conſtituenda vos
retardet? Si quęratis naturę legem, illa cer-
tè clariſſima uoce clamat, nihil in rebus
mortalium tanti faciendum eſſe atq́ huma
nam uitam: quę ad dei immortalis imaginẽ
proximè accedere putanda ſit: cuius cauſa
res omnes cõditę ſint, quas hic cęli comple-
xus cingit ac coërcet, ut qui eam uiolaret,
cunctam rerum naturam violare putandus
ſit. Quòd ſi tanti nobis eſt bouis aut equi
iactura, vt furi vitam putemus auferendam

quam tandem ab homicida repeti pœnam par est? an non dignus videatur homicida, cui vel decem eripiantur vitę, cûm furi vna eripiatur? Maxima est profectô barbaries pluris ęstimari bouem quàm hominem, si ęstimatio illa ab hominibus rerũ imperitis fiat: si à prudentibus & rerũ peritis, quo tantum facinus nomine vocabimus quàm incredibilem quandam peruersitatem? Et sunt qui in cœlum ferre audeant prudentiã maiorum nostrorum, pœna pecuniaria in homicidas constituenda. Ergo verô, si maiores nostri in hæc tempora corruptissima incidissent, non dubitarẽ eos extremę stultitię (quod etsi dictu sit durum: Tamen dicendum est omnino, etenim multa temporis causa olim ferri poterant, quę nunc hominum malicia sunt periniqua) non dubitarem, inquã, maiores nostros si nunc reuiuiscerent, vel extremæ stultitiæ accusare, si nõ viderent iniquitatem huius numationis: vel maliciæ summæ, si volentes prudentesq; tali pœna defendenda pergerent esse importuni. Mihi quidem magis excusandi videntur à culpa, quâm prudentiæ alicuius laude ornandi. Tum enim cõstituerunt legem pecuni-

pecuniariam, cûm & secula meliora erant, & homines æqui honestiq; obseruantissimi ab hominum verô cæde tanquam à peste aliqua abstinentissimi. Quis verô laudet in hoc prudentiam illorum, qua nec gentes alias puniendis homicidis æquarunt, nec satis in futurũ prospexerũt? Laudabatur Solon in Rep. Atheniẽsium, qui in paricidas nullam scripsisset pœnam. Cûm enim in illa Rep. paricidium nunquam perpetratum esset, non volebat ostensor mali potius videri quàm punitor, si de re inaudita pœnam constituisset. At maiore laude veteres Romani & populi aliarum nationum digni habentur, qui iam inde ab initio nominis sui et in homicidas pœnam capitalem, & in paricidas multô seueriorem, constituere non dubitarũt. Tale enim hominum ingenium esse viderunt, vt nihil mali esset, quod nõ aliquando ab improbis committeretur. Quãto igitur magis prudentia maiorum nostrorum laudanda esset, si & aliorum populorum in hoc leges fuissent imitati, & pœnæ seueritate in sempiternum Reip. suisq; consuluissent. Quorum quidem maiorum nostrorum si tantopere prudẽtiam laudamus,

A v cur

cur non potius frugalitatem illorum imitamur, continentiam, fortitudinem, iustitiã, & alias virtutes prçclaras? Quâm enim nos illorum disimiles simus, facilè animaduertemus si luxum nostrum contulerimus cũ illorum frugalitate. Viuebant maiores nostri cibo & potu minimè exquisito. Contẽtæ erant illorum mensę domi natis. merces exoticas non magni faciebant. Nunc nos auri numerum longè maximum partim in Hungariam, partim in Italiam, partim in Hispanias mittimus. Nihil nobis æque sapit ac aliunde aduectum. Nulla vestis placet nisi magno empta, & limbis multo pluris constantibus redimita. Interim Reip. paupertatem deploramus: quã quidem Remp. nisi tributo miseris colonis anniuersario imperato, defendi posse negamus. Cur verò non potius conferimus in Reip. defensionẽ ea quæ conuertimus in luxum? Cur tantis locorum interuallis, tanti constantia, aduehi curamus? quæ nec meliores: nec valentiores homines efficiant: sed elatos, prçstantiæ opinione turgentes, superbos, morbidos, effœminatos, molles, et ad nihil aptiores quâm ad leuitatem, vanitatem, ac malitiam. Cur igitur,

igitur, inquam, non imitamur maiores nostros, virtutibus, quas dixi, exercendis potius, quâm barbarica ista lege defendenda? cui similis nullibi extet: qua ius violetur & naturæ & diuinum: qua consensus & iudicia omnium gentium constuprentur. De quibus quidem iudicijs populorum si qui sint qui non credant Lascio copiose narranti, quęrant de ijs qui magnam orbis partem peruagati, viuunt adhuc nobiscum. Audiui ego & priuatim & in Senatu summos & illustrisimos viros narrantes, non tantũ pœnam capitalem ab alijs populis in homicidas esse constitutam: sed etiam in probris maximè apud eos esse nostram numationem. Nihilq; illis monstri similius videri quâm nos hac pœna à iudicijs cunctarum nationum discrepare. Proferrem vobis nominatim qui hęc diuinitus narrare consueuerunt, nisi scirem vos frequenter eiusmodi voces de ijs audire qui & domi & militiæ clarisimi semper fuere. Quôd si qui sint qui dicãt vel in Italia vel in Silesia vel alibi quosdam homicidas sibi visos esse qui adhuc viuant, necdum supremo affecti sint supplicio, cum his quidem ego non contendero.

Neq;

Necꝗ enim disputo an lex capite plectens homicidas ad vnguem obseruetur ab ijs à quibus accepta est, necne, fieriꝗ potest vt vel negligentia magistratus, vel alia causa nō puniatur, pro eo ac deberet, homicida. Verumtamen illud affirmare ausim & apud Silesios & apud Italos & ferè per totum orbem pœnam capitalem in homicidas esse constitutam. Sed in re minimè dubia non volo esse longior. ad legem diuinam nostra festinet oratio, de qua quidem lege multa affert testimonia Lascius noster. quæ tanti sunt vt à nemine mortalium sine scelere nefario reijci possint, sed quędam illorum repetenda sunt. Acerbè expostulat cum Caymo Deus de Abele occiso. QVID FECISTI, inquit, VOX SANGVINIS FRATRIS TVI CLAMAT AD ME. Mira nobis in historia sacra imago ꝓponitur & iracundiæ humanæ implacabilis, quæ: nisi cæde, reprimi non possit: & solicitudinis Dei immortalis de homine ad suam similitudinem facto. Concepit Caym in Abelem odium acerrimum, quòd videret illius munera Deo esse grata: sua prorsus ingrata. Egregiam verò odij causam.

Quæ

Quæ res & ad fratris amorem debebat illū stimulare, & ad misericordiam Dei suppliciter implorandam, ea excitauit odium in homine scelerato. Quod cùm ille diu in se continere non posset, occasionem quęrere cœpit. Inuitauit Abelem beneuolentię prętextu ad deambulandum, atꝗ ibi virus suū euomuit, ac sanguine fraterno saturare odiū suū nō dubitauit. Quid interea Deus? omnino visus est dormiuisse, nec ad tātū facinꝰ oculos aperuisse, sed expergefactus est tandem cæde innocentis, & de quo uiuo nihil curare uisus est, de eo mortuo expostulat cū Caymo. QVID FECISTI O CAYM? VBI EST FRATER TVVS? negat Caym scire se quicquam de fratre: ac mendacio etiam scelus augere nō formidat. Sed nihil potest esse ocultum deo & vidēti oīa et audienti, itaꝗ Caymum falsi pariter ac paricidij arguit. VOX, inquiens. SANGVINIS FATRIS TVI CLAMAt AD ME DE TERRA O vocem mirificam quę à terris ad sedes dei immortalis conscenderit simulꝗ ipsum deum excitauerit ad vlciscendū. Quis autem crederet deo immortali tantę curę fuisse istum homuntionem

onem

onē: qui ad nihil valere videri poterat quâm ad oues pascendas· Quod quidem hominū genus contemnendum putatur apud mortales omnes. Et tamen tanti illud facit opifex suus vt & violatoribus incutiat terrores expostuletq; cum eis nō secus quâm de illata sibi iniuria: & vt in posterum cautior sit vita humana capite sanxerit si quis eam violasset. Sic em̄ postea edixit QVI HOMINIS SANGVINEM EFFVDERIT, EIVS QVOQVE SANGVIS EFFVNDATVR. Quid iustius dici potuit, viri amplissimi, quę pœna aptior excogitari quâm hæc talionis vt interfector interficiatur? non enim vita hominis vllo redimi precio potest nullę res sunt totius orbis, quę non dico superare, sed vel æquare vitam hominis vnius possint. Opponite mihi iam prudentiam maiorū nostrorū opponite, si placet, vel Lechum ipsum nominis nostri authorem, an huius sententia pecuniaria pluris erit sententia dei immortalis? Si maiores iactatis nostros, si prudentiam illorum in cœlum fertis, si antiquitatē miramini, nemo nec maior est nec prudentior deo nostro: nulla sententia antiquior est illa

illa quę rerū principio dicta est: nulla sanctor quâm quę consensu populorū & gē tium omnium est comprobata. Nulla gēs erat apud ueteres illos, nulla ciuitas, quę nō deorum oraculis moueretur, itaq; nihil vnquam nisi vel auspicatô, vel responsis deorū habitis gesserūt. At quod auspicium certius esse potest, quod oraculum verius, quâm quod â summo illo deo proditū est qui res omnes & cōdiderit & conseruet: quo nemo sciat melius, quibus legibus pœnisq; Resp. in primis contineri possint. Vidit deus ille, vidit, ne dubitate, & carceres istos annuos & marcas nùmorum tum sexagenas, tum centenas, tum ducentenas, Sed tamen nulla ei iustior pœna visa est capitali. Numatio verò quâm turpis ei visa fuerit ipse met ostendit deus, cûm ita in Numeris edixit. NON ACCIPIETIS PRECIVM AB EO QVI REVS EST SANGVINIS, SED STATIM ET IPSE MORIATVR. Videte quęso viri amplissimi an non his verbis simul & Polonica numatio reprehendatùr? & pœna capitalis constituatur? Quid igitur desideramus amplius? Quę alia fingi poest

exco

excogitariúe poena, quę tam immane scelus arcere magis possit, quàm si dandam sibi ceruicem senserit homicida? terret enim mors, nescio quo pacto vel ipsa sui cogitatione, animos hominum: frangit, ac debilitat. Argumento sint illi qui in acie versant, atq; inter gladios micantes: ad quos etiam si nihil periculi aliquando perueniat: Tamen conspectu gladij, sono bombardarum ita perterrent, vix vt ad sese queant redire. Cōtrà qui vitę securi sunt, quamuis pecuniaria poena, ipsi quoq; carceres illis denuncientur Tamen quàm in cædes omnis generis ruāt præcipites, totus hic Sarmaticus orbis testatur. Non pręter causam igitur & numatio nostra reprehenditur voce cœlesti, & poena capitalis cōstituitur: cûm quidem aut nulla omnino aut hæc sit omnium vna, quę importunam furiosorum audaciam maximè reprimere possit. Quòd si etiam in nostra numatione aliquid esset preclari, meliusq; ea vitæ hominum esset consultum quàm vlla poena alia, an verò nos non poeniteret dei immortalis authoritatem nō sequi? à indicijs populorum omnium dissentire? cum voce naturę pugnare? cum quibus certe honestius

stius fuerit etiam errare, quàm cum maioribus nostris vera sentire. Nunc verò cûm hęc ipsa numatio ꝓgressa sit, in summā licētiam: cûm prębuerit causam, infinitis homicidijs: cûm homines numati, fiducia numorum putēt sibi tot hōines interficere ꝉicere quot cētena marcarū nūerare possint, quid est quin adhuc nigro lapillo notamus hanc numationem? cur sequi cuuctamur & diuinam & omnium populuorm sententiam? cûm quidem illa pręter rationem qua nitiť uincat etiam infinitè maiores nostros authoritate. Age nunc referte animum ad rationem legum ferendarum an non iusticia est fundamentum legum poenarumq; omnium? Iustitiam autem voco non tam hominum opinione quam rerum natura constantē, quę quidē talis est vt vnicuiq; reddi iubeat suum: omniaq; ad ęqualitatem redigi, seu poenis præmijsúe distribuendis, seu rebus contrahendis. Talem ęqualitatē nulla est natio hominum quę non amet: quemadmodum comitatem, beneficentiam, animum benemerendi studiosum, nemo non exosculatur. Etsi autem perlępe talis ęqualitas inuentu difficilis est: Tamen quantu-

 lacunq;

lacunq; eius cognitio mortalibus à Deo dõnatur, tota mente totoq; animo eam accipi par est. Igitur inquiramus primûm in nostram numationem, an ei subsit iustitia illa ęqualitatem rerum desyderans? minimè id quidem. Quis est enim qui ausit res totius orbis cũ vita hominis vnius ęquare? Quid igitur numatio ista, an digna est legis nomine? Ego quidem non arbitror, nisi putamus legem omnem ad tyrannicam illam regulã exigendam.

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratiõe voluntas.

Sed procul hoc sit ab ea norma rationeq;, quæ diuinitus humano generi monstrata sit rectis prauisq; sanciendis. Inquiramus deinde in legem diuinam, quæ homicidium numerat in fraude capitali, an ea iusta est an iniusta? Iniustam porrò nefas fuerit dixisse, nihil enim ab opifice illo orbis qui vt potẽtissimus ita iustissimus est, iniustum dici fierìq; potest. Quòd si eam legem iustam esse, vt certe est, putamus, cur non eam ambabus manibus amplectimur? cur non in nostram Remp. recipimus? cur secundum eam cędes hominum non vlciscimur? Neq; enim est verum quod dicunt quidam legem

illam

illam Reip. tantùm Iudęorum esse latam, non aliis populis: eam enim inter eas leges, quæ Iudæis scriptæ erant numerari. Non est ita. Res enim ipsa & ordo sacræ historiæ testatur, anteq; iudaica natio ab aliis populis segregaretur, esse latam: hominibus quidem octo tantùm superstitibus à diluuio orbis: qui cùm arca relicta, terram inhabitare cœpissent, ne quis violare auderet alium, ea lege Deum vitas illorum communiuisse. Nondum natio Iudaica, vt dixi, segregata erat: quæ trecentis nonaginta duobus fermè pòst annis, ab Abrahamo nonagesimum nonum ætatis agẽte annum (tum enim primûm circumcisus est) suum duxit exordium. Quid quod Christus ipse, Rep. Iudæorum iamiam pręcipitante, aliis quidem verbis sed sensu eodem, repetit legem illam, cùm dicit, omnes qui gladium acceperint, gladio perituros? Res pietatis plena esse vulgò putatur, gladio aduersus vim iniustam tueri innocentem. Sed cùm lege ęterna nemini permissus esset gladii vsus pręter magistratum, increpat Christus Petrum, hominem priuatum, iubet eum vt gladium recondat, addit rationem ex lege diuina sum-

 ptam

pram, omnes gladio perituros, qui gladium vſurpare auſint. Hæc legis verba, paucis antè horis à Chriſto dicta ſunt, quàm mortem illam ſalutiferam oppetijſſet: ita vt pondus & authoritatem teſtamenti habere putanda ſint. nec tam ad Remp. Iudęorum pertinere, cuius occaſum iam appropinquare Chriſtus prędixerat, quàm ad eas gentes quæ tanquam noui ſurculi à morte Chriſti in eum truncum inſitæ ſunt, vnde ob ingratitudinem Iudęi ſunt executi. Cùm igitur & ante ortum Iudaicæ gentis, & in eius occaſu lex illa voce diuina teſtata ſit & confirmata, perſpicuum eſt non ſolis Iudæis eſſe latam, ſed mortalium generi vniuerſo. Ac mihi quidem hiſtoriam ſacram, quæ omnium antiquiſsima eſt, reuoluenti, non aliunde Reſp. videntur initium ſumpſiſſe ſuum, nec in alio fundamento collocatæ, quàm in lege illa, qua cædes hominum tam ſeuere vindicantur. Magni olim fiebat patria poteſtas: eaq; ſufficiebat hominibus in officio continendis, dum quiſq; filiorum, pro eo ac debuit, audiens erat dicto paterno. Verumẽ cum malitia hominum creſcente, diſciplina illa minuerceur neceſſe erat alia poteſtate, quæ

quæ nõ tam beneuolentia, quàm vi homines ad ſuum munus penſumq; reuocaret. Porrò ea poteſtate, Nemroth primus mihi vſus eſſe uidetur: ſedemq; regni & imperij ſui Babiloniæ collocaſſe. Hunc igitur ipſum Nemrothum, qui ſeruatoris illius generis humani Noe pronepos erat, in lege illa diuina in homicidas & conſeuiſſe Rēp. ſuam contendo, & alias poſtea Reſp. in eadem eſſe ædificatas. Quid enim oſtendi poſsit contrarium? Etenim Nemroth cùm Salę alteri pronepotum Nòé propè æqualis eſſet, uidit proculdubio (quēadmodum & Sale trigeſimo ſeptimo ferè à diluuio anno natus, vidit) ipſum Noam proauũ ſuũ: qui tercentum quinquaginta à diluuio, atq; adeò à tempore latæ illius legis vixerit annos. Ita ut veri ſimile ſit ipſum Nemrothũ & legem illam de proauo didiciſſe ſuo. & Remp. nouã in illa fundaſſe. Nam ſi in alia quàm illa à proauo accepta fundaſſe, fuiſſet haud dubiè illius tanquam monſtri cuiuſdã à Moſe mentio facta, cùm quidem Moſes regni eius minimè obſcuram mentionem feciſſet: atq; in ſummis Nenrothi laudibus id poſuiſſet quod illi ex virtute Venatori coram

ram domino robusto, factum cognomen fuisset: idq cognomen adeò sermonibus omniū tum celebratum fuisse, vt postea summi viri ac in negotijs dei īmortalis preclare se gerentes Nemrotho compararentur: ac prouerbio quasi Nemroth robusti coram domino venatores, vocarentur. Eam igitur legem & in Remp, Nemrothi primûm sedem fixisse suam cōstat, & deinde velut per manus posteritati traditam pro fundamēto Rerump. seculorum omnium positam fuisse: Eam ad hunc diem in omnibus regionibus Asiaticis, Africanis, & Europeis summo populorum consensu uigere haberiq sacrosanctā. Magna locorum diuersitas cernitur ex fructuum, qui in illis proueniunt, diuersitate: nec minor ingeniorum pro regionnm varietate, quo fit vt quod moribus receptum sit apud hos, apud alios idem repudietur, nec solum diuersitas regionū facit hanc varietatem: imò verò ciuitatis eiusdē atq adeô domus vnius, quantum differant hominum ingenia inter se, & facierum & operum humanorum dissimilitudo testatur. In hac igitur tanta & rerum dissimilitudine & ingeniorū, tanta locorum distantia, tantis regionum

regionum interuallis, quam rem putamus effecisse vt magno gentium consensu lex illa capite plenctens homicidas acciperetur, conseruaretur, sacrosancta haberetur? Summam æquitatem in ea re oportet esse, in qua tot gentes, torq ingenia cōsenserunt: quam summa voluntate acceperunt: quam fortissimi propugnaculi loco habendam duxerūt Non igitur vi, nec clam, nec hominum persuasione in resp. eam legem irrupisse intelligendum: sed sua ipsius æquitate cum rerū natura, cum ratione, cumq diuina sapientia quasi in possessiones suas venisse: orbemq terrarum omnem occupasse. Vtinam verô & apud nos sedes collocasset suas. Sed nos miseros, qui soli cum nescio quibus Danis pellimus eam Rebus publicis nostris: cûm tamen planum iam fecerimus, non solis Iudeis, sed vniuersę hominum naturę ab opifice suo datam esse ac institutam. Qnôd si solis Iudæis posita fuisset: Tamen quoniam summa omnium populorum conspiratione approbata & accepta est, quid causę est cur ā nobis repudietur? cur nō simili honore decoretur? cur nō eodem in gradu dignitatis collocetur? Quid causæ, inquā, est, cur sole

 clarissimo

clarissimo relicto, tenebras maiorũ nostro-
rum sectemur? cur de cisternis hauriamus
purissimi fontis relicta limpidissima aqua?
Necq; enim audiendos puto, qui ita legẽ dei
immortalis ab hac Rep. arcent, vt simul de
iudicijs corruptis & contaminatis conque-
rantur. Ecquid, inquiunt, pœna opus est in
homicidas seueriore? restauretur sanctitas
iudiciorum, legantur iudices incorrupti, dei
timentes: qui non ex amore, non ex timore
sed ex veritate causas expendant: qui ex suis
subsellijs nec vi, nec gratia, nec precio veri-
tatem repelli patiantur: qui diligenter ope-
ram nauent iudicijs exercendis, causas ex-
trahi non patiantur alioquorum calumnijs,
suum cuicq; tenendum adiudicent. Hęc em̃
vbi facta erunt & constituta, tum fore vt
gladij quocq; & cædes conquiescant. Cûm
quidem non alij vulgò interficiantur quám
qui vel corruptis iudicijs, vel in longum du
ctis, res alienas occupare contra iustitiã au-
dent. Ego verò & si hanc querelam nimiũ
veram esse multorum sermonibus cognoui:
ipse quocq; ob iracundiam quorundam, pro
missi inconstantiam, fidem ac ius iurandum
mihi neglectum expertus sum: Tamen nõ
tanti

tanti eam esse vt lex diuina ex Rep. explo-
denda sit, etiam atcq; etiam considerandũ est
Audiui ego multos pręstãtes viros cûm de
iudiciorum iniquitate ita vulgò quererẽtur
vt hoc malum numerare inter fatales cala-
mitates non dubitarent: cõpararentq; hũc
statum Reip. nostræ cũ rebus Hungaricis,
ante funestũ illud, quo Ludouicus rex oc-
cidit, bellum. Nobis quidem qui Reip. nul
lam gerimus partem, non aliud quâm bene
ominari licet, patriæq; salutem deo immor-
tali precibus commendare. Verumtamen
mirari satis non possumus, quid agatis vos
qui Remp. tractatis? etenim versari vos in
medijs querelis illis dubium non est. Quæ
igitur causa est cur tantis morbis medicinã
facere non velitis? posse quidem vos nemo
negauerit nisi forte iguarus, quæ iudicis par
tes sint apud nos? quę pręfectûm prouinci
arum? quæ Sanatorũ? Sine quibus ne regẽ
quidem apud nos posse quicquam, nõ con
suetudine tantûm, sed legibus etiam est prę
scriptum. Quod si vos indormitis his malis,
penes quos est potestas quæ tandem spes
est Reip. diu duraturę? Sed, vt dixi, magis
libet nobis priuatis bona precari quâm ma-
B v le

sè ominari. Et certe spes quędam illuxisse visa est proximis conuentibus iustitię seuerioris cûm cōsultationes de iudicijs diligentius constituendis haberentur. Quę tamen iudicia cûm rectissimè erunt constituta, ne tum quidē causa erit quo minus capite puniantur homicidę. Quę enim, malum, stultitia est legē bonā pelli à nobis ob id quôd iudicia recta essent omniū rerū: nisi forte putas fore vt tū quoq; homicidia cōquiescāt. Qđ tñ optare magis licet quâm sperare. Nō enim tantùm ob fundos & ob iniustitiam cædes fiunt: sed sępe malicia hominum, nulla causa alia committuntur. Possem nominatim quosdam proferre qui his annis crudelissimé ab ijs necati sunt, cum quib⁹ nihil omnio negotij vnquam habuerunt: nisi vererer ne oratio nostra in hęc tempora incurrens, aliquos offenderet. Proferam tamen exemplum vnum ab ętate nostra remotissimum. Caym occidit Abelem, qùamobrē? non erat certamen inter eos de agris, non de possessionibus, Quę igit̄ causa cædis? Quia Abelis munera deo grata erant, Caymi ingrata hic ira, inuidia, postremo cędes. Nota est etiā occisio illa puelle imbellis in nesciō quo

quo cometerio p dies quosdā celebres, ab homine scelerato crudelissimè facta. Tales cędes cûm sępe ab hominib⁹ nostris nulla causa, sed summa tum licentia tum impunitate committantur, ne quęso diuinam legem in homicidas ab hac Rep. arcere velitis: etiāsi iudicia quā optime exerceantur. Sed mihi in hac causa cogitationem omnem defigēti, sententiasq; vestras, viri amplissimi, quas pximis in conuentibus de pœna homicidij dixistis, animo repenti, dolendum sanè visū est, neminem vestrûm tanto in numero fuisse q de supplicio homicidis â deo irrogato seriò dixisset. Eum em̄ ego serio dixisse putarem, qui pœna illa exposita, eam suffragio suo cōprobaret: eam in hac Rep. deinceps valere vellet: alias verò pręter eam, inutiles, Reip censeręt. Erant quidem nonnulli vestrum, qui pœnę illius pręclaram fecerunt mentionem: sed tandem ad extremum pecuniariam valere iusserunt. Et si autem nō ignoro vobis rationem huius modi sentētię vestræ constare: Scio enim plerosquè vestrum vidisse, paucorū sententias quamuis optimas, non tanti futuras fuisse, vt contra longum illud subselliū pręualerent: Tamen

men

men quoniã ingressus sum hũc dicendi cã-
pum, quęso à vobis, patiamini me de hac
sentẽtię dictione vestra paucis disputare. In
qua tandem Rep. hæc à vobis est sententia
dicta: qua vtraq; pœna exposita prętuleri-
tis Polonicã diuinę? an nũ ignoramus nos
dei populum esse? pluris sententiam diuinã
à nobis fieri oportere omnibus maiorũ no-
strorum placitis? Quorsum enim illud in ec
clesijs decãtatum verbum, Verbum domini
manere debere in ęternum? Si hoc fieret ab
hominib⁹ à religione veri dei alienis, vt sua
decreta pręferrent diuinis, an non improbã-
dum videretur? Sunt enim animi hominũ
cognitiõe dei immortalis natura imbuti: nec
quicquam mortalium animis magis infixũ
esse videtur, quàm, quoties in contentionem
dei sententia cum humana veniat, vtra al-
teri sit pręferenda, humanam diuinę cedere
oportere. Cûm igitur nos non tantum na-
tura imbuti simus cognitione dei immorta-
lis: sed etiã voce cœlesti docti, an id nõ fit cũ
magna dei contumelia cûm sententiam hu-
manam illius decretis pręferimus? Mihi ve-
rò honestius illi loquuti videntur, qui p̃ænę
diuinę ignari, id volebant sanctũ esse, quod
à maiorib⁹

à maioribus traditum acceperunt. Vos ve-
rò qui de diuina volũtate edocti estis, an nõ
rei vobis videmini lęsę maiestatis diuinę?
Seruus sciens voluntatem domini, & non
faciens, vapulabit plagis multis, dicit Chri-
stus. Vos igitur scientes volũtatem dei, ve-
strorum tamen maiorum prudentiã illi pręe-
ferentes, an putatis vos à crimine lęsę maie-
statis diuinę abesse? pœnamq; tanti peccati
vobis non imminere? Quód si violatur ma-
iestas regia, quoties contradicitur legitimis
illius decretis, an non violatur maiestas illa,
per quam & reges regnant, & vos in hoc
Reip. gradu estis collocati, cûm decreta il-
lius longo interuallo postponãtur nostris
ipsorum decretis? Pudeat hominem suã vel
le pręferri sententiam diuinę. Pudeat magis
magisq; Christianum, non velle se suaq; o-
mnia ad dei nutus accommodare. Quòd
si vobis, hac dei lege violãda adhuc libet esse
imperiosis: si plus apud vos valet hęc libi-
do imperandi quàm ratio, quàm gentiũ ex
terarum existimatio, quàm populorum ve-
strorum verecũdia, quàm regis vtriusq; ve-
stri voluntas, quàm metus dei immortalis?
quid tandem restat quàm vt sedem vestrã
erigatis

erigatis contra omnem naturam rerum, cõtra homines omnes deosq; : paresq; vos faciatis ipsi deo altissimo. Quid enim facitis aliud quâm pares vos aut superiores deo cũ ita dicitis. QVAMVIS deus constituit pœnam capitalem: Tamen nos iure nostro constituimus pœnam pecuniariã. Huiusmodi verò insolentissimam dominationem vestram, qua dignitas maiestasq; rei Christianę & totius naturę violatur quis est qui æquo animo ferendam putet? Ego quidem non uolo author esse seditionis : sed quod in ore est multorum, quęso patienter me de eo audite disputantẽ. Profectó putant plerıq; omnes non imperiti rerum, hanc dominationem vestram cum impietate coniunctam periniquã esse & non ferendã. Quẽadmodum enim imperijs hinc herilibus illinc magistratus, quamuis legitimis, pugnãtibus inter se ac contrarijs: impius sit seruus, qui hero magis obtemperet quâm magistratui: cui quidem magistratui vtrunq; illorum subesse certum est : Ita omnes legis diuinę periti, nomine Christianorum indigni videntur cum ferunt hanc impiam numationem : cũm quidẽ illa nominatim verbo dei

bo dei & reprehensa sit & alia pœna constituta. Valere enim debet illa vox in ecclesijs dei, magis deo obediendum esse quám hominibus, non enim dei sed malignantium ecclesia putanda est, in qua voci illi locus nõ sit. Quód si ad hunc diẽ populi omnes hãc numationis impietatem tulerunt, temporibus id est tribuendum: nunc cõsiderandum est, an eam diutius recta cõscientia ferre possint, acerrima enim illa odia istius numatiõis quotidie ingrauescunt, partim contionibus publicis quę fiunt in templis, partim regijs in Senatu sententijs voluntateq; monumentis literarum mandata: partim colloquijs vestris priuatis illis quidem, sed quę ad aures multorũ solẽt permanare. Vestrę igitur virtutis est cum deo, cumq; natura rerum diutius non pugnare. Etenim illud est minimè dubitandum deum punire mirabiliter neglectum verbi sui, neq; solúm mentis cœcitate & defectione populorum, sed & peccatis alijs grauissimis: in quę nos sinit ope destitutos sua labi. Grauissimam profectó effensionem esse oportet, quam ita horribiliter vlciscatur. nec desunt exempla ętatũ omniũ Sed, quoniã in pręsentia de homicidij lege loquimur

loquimur,videte quę & quanta contempti-
onem huius legis cōsequantur vitia. Primũ
despectus tenuium summus,dum homines
generis claritate insignes,putant vitam suam
pluris fieri oportere quám plebeiorũ. Hinc
veró incredibilis nobilium in plebem inso-
lentia: dum hi mortis metu multa ferre co-
gunt̃ indigna: illi veró nõalio quám canũ
numero hos reputare audent. Hoc pecca-
tum quantum sit, quamq; offendat maie-
statem diuinã nemo verbis consequi queat.
Nam nec legi diuinę locum in hac Rep.
relinquit vllum: qua quidem lege iubemur
proximos non secus diligere quám nosmet-
ipsos:nec precationi dominicę: qua instituit
Christus vt deum appellaremus patrem o-
mnium nostrũ. Quære enim de nostra no-
bilitate quis suus sit proximus? an eos dili-
gere possint atq; seipsos quos nomine ho-
minum vix dignantur? & vt nomine dignẽ-
tur,re tamen ipsa superbissimè contemnant.
Deinde an patrem cũ ijs habeant commu-
nẽ quos pro fratribus nõ agnoscãt? Quod
si eos agnoscunt pro fratribus si ęquè putãt
diligendos atq; seipsos,qua fronte pluris vi-
tam suam ęstiment? quam quiden eorum
vitam

vitam non alio loco deus habeat quâm ple-
beiorũ; nec alia pœna horum cædẽ quám
illorum puniri velit, vnico enim verbo in le-
ge visus est,quo omnium ordinũ homines
comprehendit,dum ita edixit,vt qui homi-
nis sanguinem effudisset, eius quoq; san-
guis effundat̃. Quid q̧ preces quoq; publi-
cæ pro rege & magistratibus debitæ, eius
legis contemptione ab ecclesijs Christi ex-
cludi videntur? Quo enim animo orandũ
est pro ijs,qui operam non pręstant debitã
vt lex diuina in Ecclesiam ac Remp.Chri-
stianã recipiat̃? Etenim Paulus ille aposto-
lus,ideo præcepit vt pro rege oremus & il-
lius prefectis, quôd curæ illis sit,vt vitam
cũ pietate & grauitate agere possimus. E-
gregiam verò hanc pietatis curam illorum
cum per illos non liceat nobis legẽ dei am-
plecti:cùm vitam nostram,quasi pecudum,
lege lata,velint vendi:cûm magis vindican-
dum putent peccatũ,eripiendo boue quâm
homine occidendo, admissum. Quid mul-
ta? Deus edixit vt sanguis sanguine vindice-
tur:an igitur bellum adhuc geremus cum il-
lo eius legem abrogando? Vetus est fabula
gigantes olim terra prognatos,bellum Ioui
 intu-

intulisse, sed Iouem iratũ fulminibus iactis funditus eos deleuisse. Profectò & nobis qui tanquam gigantes bellum tot annos gerimus cũ deo immortali, decretis illius cõtraueniendo, verendum est ne quando Deus suppremis tandem supplicijs afficiat nos: Remq; publicam istam à nobis transferat ad alienigenas. Quôd si ad hunc diem lẽtus esse nobis visus est, nec seuerius nos castigasse: Tamen metuendum est ne tarditatẽ pœnæ, seueritate compenset: semelq; in nos effundat iram suam præsertim cûm nos simus qui in hæc tempora inciderimus, cùm iniquitatem numationis nostræ nemo non cognoscat. Clamant in eam concionatores verbi dei omnes. Clamant honesti & probi viri. clamant adolescentes ipsi, non em̃ obscurũ est quid dixerit iuuenis ille Lascianus annos natus sedecim. Reprehenditis eã vos quoq; ipsi in colloquijs vestris. Quid igitur est cur quæ priuatim improbamus, palam abrogata non uelimus? an adhuc optamus locupletiores authoritates atq; testes? an expectamus dum vel bestiæ ac lapides ipsi loquantur de pœna capitali, vel deus ipse in Senatum veniens nobiscum hac de re loquatur?

quatur? atqui loquitur satis per scripturas, per ora omnium ferè populorum, perq; rerum naturã ipsam. Quid igitur? nihil hæc omnia putabimus? populorum omniũ legẽ irridebimus? contemnemus naturæ clarissimam vocẽ? vana & futilia putabimus quę in ore versântur contionatorum, omniumq; non stultorum hominum? negabimus recta esse quæ & Sigismundus primus & huius filius Sigismundus Augustus reges de hac re existimant? Conculcabimus quæ á deo immortali significata sunt & monumẽtis literarum mandata? non pertimescemus hominum secreta iudicia, quorum quidem hominum longe pars est maxima, qui gemitu & mœrore declarant, quantum odium habeant turpissimæ istius numationis, quã sola necessitate non vllo rationis iudicio ferre cogantur? Magno in dolore erant honesti & prudentes viri cûm spes suæ pœnæ in homicidas diuinæ, cõuentibus superioribus eos frustratæ essent. Putabãt Remp. vobis parum cordi esse, qui vitas hominum non ...elletis ab iniusta cæde, quantũ fieri posset, magis munitas atq; septas. Suspicabant̃ nõnullos vestrum commodum quoddã spe-

 cta-

ctare, quod prorsus interiret si pœna capitalis indiceretur: nonnullos verò qui cædẽ alicui molirẽtur, cauere sibi lege pecuniaria ne ipsi quoq; interficiantur: quosdam etiã omnibus consilijs deuios, prorsus odio ęquitatis, odio dignitatis, odio Reip. impelli ad resistendum sententię dei immortalis. Hunc dolorem bonorum virorum, has suspitiones illorum de vobis, propulsare nõ potestis, nisi legem diuinam omnium populorum authoritate approbatam, in hanc Remp. accipiatis. Sed finis sit, pluribus enim egimus de tota hac causa, deq; diuersitate & homicidiorum & pœnarum in Lascio nostro. Ad extremum per illã vos baptismatis ablutionẽ sacram, qua Christo initiati estis: per verbi dei veritatem, quæ in Christi Ecclesia iure suo regnare debet: per regum vestrorũ authoritatem, quæ certè vobis debet esse sacrosancta: per hosce honorũ gradus in quibus ad Reip. salutẽ collocati estis, oro ac potius oramus omnes qui Remp saluam esse volumus. non enim pro animi tantum mei sensu ac dolore, sed omnium quos Resp cõplectitur (turbulentis hominibus exceptis.) verba me facere putate: ad quos quidem omnes

mnes periculum huius numationis, nisi prouideris, arbitror pertinere. Oramus igitur vos inquam ac planè etiam & hortamur, & obsecramus vt in sentẽtijs dicẽdis, & vr̃is ipsorũ & proborũ hominũ iudicijs, cũ dei iudicio congruentibus, plus seruire velitis, quam libidini quorundam importunorum: vt lex diuina tot secula apud nos sepulta, virtute tandem vestra excitata, regnet aliquãdo & dominetur. Si pauciores vestrum erũt quibus sententia diuina placeat: Tamẽ periucundũ erit auditu, aliquos in tanto numero esse quibus tanta res sit cordi. Neq; dubitate deum vestris paucorum sententijs ad futurum, si serio, diligenter, & ex animo dixeritis; reliquamq; multitudinem ad voluntatem eius legis perferendæ inclinaturum: qui in rebus desperatis, paucorum bonorum causa ad fuerit totis ciuitatibus: qui sæpe paucioribus suo nomine pugnantibus victoriã dederit de numerosa multitudine. Vestram virtutẽ & studium in suam legem ornabit præmijs q; afficiet ille qui promisit se glorificaturum eos qui ipsum glorificassent. Angelos etiã cum reliquis cœlitibus hoc vestro facto gauisuros non dubitate: quos Christus lętitia

efferri testatur cùm vident peccatorem resi-
piscentem, neq ignoratis quàm ea res vtriq
regi vestro erit grata: qui numationem hāc
tanquam idolatriā quandā pellere & dei le-
gem in hac Rep. iampridē erigere conātur.
Populi verò, harumq ditionū ciues, quāta
lætitia perfundentur? sanè incredibili, cùm
& suam vitam maiori curæ vobis esse co-
gnoscent, & dei immortalis legem prę ferri á
vobis omni humanę vanitati. Ita q' & ve-
stra imperia libentius obseruabūt: & salutē
ac incolumitatem vestram suis precibus di-
ligentius commendabunt deo immortali: &
hos honores authoritatemq vestram magis
reuerebuntur. quæ quidem authoritas ve-
ritatis diuinitus monstratæ propugnatione
conseruatur: desertione aut saltem neglecti-
one amittitur & exolescit. Reliquum est vt
vos etiam atq etiam orem viri amplissimi
vt officium hoc dicendi meum, bonā in par-
tem interpretemini. Quod certè non alia
causa quàm Reip. studio á me est susceptū
vt enim nauis pulsu remorū concitata spon-
te sua fertur, cursumq tenet suum remigā-
di labore intermisso: Ita ego qui annis su-
perioribus texere cœpi hanc causam in hoc
veluti

veluti mare ingressus, cōtinere impetū et qsi
cursum nauiculę meę nō potui, quin adhuc
pergerem: sperans fore vt hanc nauiculam
optatū ad portum vestra virtute appulsam
habeamus: inq eius mercibus omnes
qui imaginē dei immortalis in no-
bis gerimus insculptam, cōqui
escamus, Deū precor opt.
Max. det vobis eā mē-
tem vt salubrib' cō
silijs vestris Reip.
in lōginquū
prouidere
possitis
Di-
xi.

ORATIO PHILALETIS PERIPATETICI IN SENATVLO HOMINVM SCHOLASTICORVM, DE DECRETO CONVENTVS, QVO PAGI CIVIBVS ADIMI PERMITTVNTVR, HABITA. M. D. XXXXIII KALEN. APRIL.



Tsi nobis potestas sententiæ In Senatu dicēdę non est: Tamen in Senatulo hoc nostro, vt de rebus humanis omnibus, ita etiam de Senatus cōsultis in hoc conuentu Reip. factis puto licere nobis disputare. Hoc ēm certè officij nostri est, vt, cūm Resp. nos erudiendos bonis disciplinis curauerit, eruamus semper ex ijs disciplinis aliquid, quo præclaras actiones commendemus, reprehendamus autem improbè facta. Sæpe olitor, vt est in veteri prouerbio, opportuna loquutus est. Quo magis anniti nos oportet, vt literis in quibus uersamur adiuti, de Rep. deq; actionibus humanis omnib⁹ disputemus. Sed alias de rebus alijs: nunc de eo decreto quod Senatus & equitum consensu à Rege latum est, ne cui ciuium liceat deinceps pagos adipisci: quos verò olim adepti essent, eos uendi oportere, dicamus sententias. Quod quidem decretum importunitate & odio in oppidanos nobilitatis, factum esse videtur. Tametsi autem multi nostrum sunt partim huius, partim illius ordinis: Tamen nos, qui sumus ad veritatem docti & instituti, decet absq; vlla animi perturbatione, absq; amore vel odio in hūc vel in vllum ordinem, disputare de actionibus illorum, non debent nos affectiones trahere in vtramlibet partem: sed disputando colloquendoq; sequamur veritatē ducem: vsurpemusq; illud ab Aristotele nostro contra Platonem magistrum suū disputante, grauissimè dictum: AMICVS quidem Plato amica

amica veritas, sed præclarum est pluris estimare veritatem. Ego itaq; etsi parēte vtroque nobili natus sim: Tamen cūm incredibili veritatis inuestigandæ studio tenear, sic dicam sententiam meam, vt non aliter dicerem si in cœtu deorum dicendum mihi esset: præsente quidem illo summo deo, qui mentes hominum cernit, qui renes scrutatur & corda. Sic igitur dico meo loco, decretū illud conuentus per iniquum esse: contra rationem cōtraq; iura diuina & humana scriptum. Vt enim partem illam decreti prætercam: qua dicitur nō licere ciuibus pagos deinceps emendo adipisci: Quæ tandē probabilis afferri causa possit, cur ciues inuiti & nolentes cogātur cedere possessione pagorū vel auitorum vel iusté emptorum? quorum & possessionem multos annos vsurpassent & culturā exercuissent? Ratio id & æquitas negat vt aliquis in Rep. legibus constituta cedere cogatur re sua: quam iure & legibus, quam precio, quam á maioribus relictam adeptus esset. Quis enim finis vnquā contractuū erit in rebus humanis, si res emptas, publicè ad tabulas & solenniter confectas, á maioribus hæreditatis nomīe relictas oporteat

oporteat bonæ fidei possessorem, alterius arbitrio quoties ille vellet & vt vellet, permittere? Quid apud nos leges valebūt, quid cōsuetudines iudiciorum, si quæ iure confecta sunt, ea rescindantur? libidini equitum permittantur? si multorum annorum aut etiā seculorum possessiones, moueantur? Quid illæ legum præscriptiones, quid vsucapiões a iurisperitis decantatæ? Qui quidem iurisperiti, ne dominia rerū essent incerta, continuatione possessionis ac temporis lege definiti, eâdem illa dominia acquiri & in perpetuū stabiliri pronunciarunt. Quod pondus verborum erit & formularū quæ quidem in iudicijs maximè semper excellebāt? cūm ita venditor ad tabulas publicas dicebat, cedo possessione pagi mei Socrati, qui numerauit mihi quantum volebam, do illi possessionem, transfero in illum ius & domi nium: spondeoq; neminē cum illo de ea hęreditate acturum: Sin aliquem agere contigerit, damnū omne præstabo. Hæc uerba emtionum solemnia sunt in iudicijs. Quæ si iam vim non habent suam, quid aliud leges sunt nostræ quàm telę aranearū? Iam quid prędari est si hoc non est, eripere homini no lenti

lenti rem suam ? certè non latrones tantûm
in agris depredantur hominem:cùm res eri-
piunt: Sed quisquis rem meam me inuito
seu pretio seu gratis conetur à me alienare,
is mihi profectò prędo erit. Necꝫ verba E-
saię ꝓphetę,cũ dicit ca.xxxiij VAE QVI
PRAEDARIS, VAE QVI SPER
NIS,ad latrones tãtûm pertinere intelligẽ-
da sunt, sed ad omnes qui rem alienã inuito
domino aliò transferre conantur . Itacꝫ etiã
coniunxit vnã prędones & cõtemtores ali-
orum :vt notare & planè digito monstrare
videatur eos, qui odio & contemtu res ali-
enas ereptas velint. Et in alijs quidem Re-
būsp. licet in vniuersum omnibus rem suã
honestis modis meliorẽ reddere : licet iustè
acquirere. Itacꝫ dolendũ est nostrã Remp.
non velle in hoc aliarum similem esse : dolẽ-
dum est emptiones & possessiones,quę tpe
longo ratę erant, irritas fieri : cosuetudines
iudiciorum solennes,importunitate quorũ-
dam labefactari : leges de illis multis seculis
obseruatas nõ aliud iam esse quàm vel cerã
flexibilem in vtranquę partem,vel telam a-
ranearum : quã liceat robustis istis quoties
libeat perrumpere. Quorsum igitur decreta
Aristotelis

Aristotelis nri,qui hiem,nõ sinit impare sed
rationẽ quã quidem rationẽ legũ ferẽdarũ
vult esse causam & fontẽ. Ea em̃ vbi nõ re
gnet ibi principẽ in tyrannũ degenerare, &
ex Rep fieri barbariẽ & immanitatẽ. Hinc
factiones fieri & interfectiones. Plenę sunt
historię exemplorum. Meministis Deme-
trij phalerei in exilium acti,& Agis Lace-
dęmonij necati,& nostra memoria Christi-
erni Dani:qui tulit tandem tyrrannidis suæ
cœlitus imissas pœnas,regia maiestate pror
sus indignas. Haud scio an in hunc nume-
rum referendus sit Ludouicus rex Hun-
garorum nobilissimus, quem ego quidem
innocentissimum fuisse iudico. sed rex erat,
non tantùm eorum,quę deliquisset ipse,pœ
na illi luenda erat : sed eorum etiam quę eo
conniuente nequiter alij fecissent. Tantam
ferunt,eo rege, licentiam equitum fuisse in
Hũgaria,vt nihil planè èis nõ liceret, quod
modô liberet. bonis alienis insidiabãtur: ex
alieno,quantũ libebat nullo dato pretio v-
surpabant: in prędia aliena inuadebant. Id si
verum est(.nam ego quidem pręter auditũ
nihil habeo.) quid mirum est Ludouicum
& infœliciter contra Turcas pugnasse, qui
nesciret

nesciret contra suorũ vitia pugnare, nec pau
lo infœlicius mortem occubuisse. Non eñ
in pugna occidit, vt solent milites nõ ignaui
sed, vt ferunt, in paludibus quibusdam: sine
vulnere, quod in acie versantibus solet esse
gloriosum, sine vlla vel amicorum uel con-
scientię regalis officij consolatione: sine ho-
nore sepulturę: sine sepulchri religione. Et
adeò mors illius obscura erat, vt nemo ad
hunc diem pro certo affirmare ausu, quo in
loco, & quo mortis genere perierit. Quę
quidem mors illius quantum malorum in-
uexerit orbi, quis est qui ignoret? Hoc ex-
emplum velim proponant sibi reges & qui
cunq; sunt cum potestate. considerent &
vitam Ludouici in re omni dissolutiorẽ, &
regij officij munus non satis ab illo pręstitũ
Hanc vero vitam, hũc officij neglectũ quã
putas mortem sequi debuisse? Sed tamen
mitior erat exitus vitę Ludouici. Quam
verò horribiles fuerint eorũ qui nõ tantum
officij deserti fuerunt rei, sed ipsi quoq; vel
tyrannidẽ exercuerunt, vel decretis suis pro
bauerunt & exempla quę prius dixi satis de
monstrant, & illud omniũ maximè quod
in sacra regum historia de Achabo rege &
Nabo-

Nabotho habetur: quę cûm mirè quadret
& apposita sit ad sermonem institutum nõ 3 reg. 21
sit ineptum paucis eam hic perstrinxisse. vi-
dit Achab rex vineam nabothi ędibus &
fundo suo vicinam & adhęrentẽ, eam igit̃
propter vicinitatem habere optat à subdito
suo. Nec tamen vi vtitur eripienda illa: sed
vel meliorem vineam vel precium iustum
daturum se confirmat ac pollicetur. Non in
iustę preponebantur condiciones Nabo-
tho, si vineam vel vendere vel permutare
voluisset. Ad quod quidem faciendum cũ
ipsa ęquitas tum gratia regis sui, poterat eũ
adhortari, Verûm cûm vinea sibi charior es-
set, recusat eam regi postulanti, deprecatur
etiam vt quam à maioribus hęreditariã ac-
cepisset, eam cum bona regis gratia possit
retinere. Offensus est rex re nõ exorata per
grauiter: vsq; adeô quidẽ vt pręanimi im-
potẽtia furibũdus se in lectũ ꝓijceret, faciẽ
ad parietẽ conuerteret, à cibo prorsus absti-
neret. Verûm vxor à mœrore regẽ reuo-
care conatur, ac vineam sua opera illi pol-
licetur. Effecit igitur vxor primûm vt fal-
sis subornatis testibus Naboth à iudicibus
occideretur; deinde vt rex vinea potiretur.
O rem

O rem miseram & calamitosam. O reginam crudelissimam. Rex hoc intelligit. Iudices vident & tamen falsos admittunt testes occidunt innocentem. Rex in sinu tacito gaudet, ponit pedem in possessionem vineę tantopere concupitę. Tum verò deus qui dolorem oppressorum iniurias, & cędes vlciscitur pœnam Achabo, vxori, filijs, & vni-
3 reg. 22 uersę eius posteritati per prophetā denunciauit, quę breui postea subsequuta est. Nā
4. reg. 9. & Achab telo, in incertum á quopiā emisso vulneratus, interijt, canesq; sanguinem eius linxerunt: & vxor illius ex loco superiore
4 reg. 10 pręcipitata, sanguine parietem conspersit, equorumq; vngulis conculcata & à canibus deuorata est: & Septuaginta eius filij gladio interfecti: & omnes illius optimates noti ac sacerdotes deleti sunt: ita vt nemo vel filiorum vel amicorū Achabi superstes esset. Tanta seueritate vsus est dominus cœde & iniuria Nabothi vlciscenda vt & posteritatem Achabi omnem è numero viuentium abstulerit, & omnes consiliarios illius, optimates, ac sacerdotes, qui vel cōsultores erant rei pessimę, vel regē pro munere officij sui á tyrannide non dehortabantur. Quanto pręclari-

pręclarius ille omni posteritatis memoria dignus. Aratus princeps Sicioniorum: qui nō tantū non permisit possessiones aliorū eripi: sed cum quidā pręetenderent iuris se aliquid habere in illas: maluit petitoribus pecunia satis fieri, quàm eripi possessiones multorū spatio annorum vsurpatas. Sed nota est historia omnibus. Itaq; nihil attinet eam pluribus prosequi verbis. Meministis aūt Socij morem scholarum veterem ante actorum temporum: quæm hodie in scholis Germanorum quibusdam audio renouatum: pueros singulis dierum hebdomadis iudicia pædagogo præsente, solitos fuisse exercere. Legebatur ex pueris iudex ad certa tempora hoc munus obiturus. addebantur illi qui in consilio cū eo essent, ad eos pueri deferebāt quaslibet iniurias, reos accusabant, eodemnari petebant. Iudex verò audita re, & omnibus ad rectè iudicandū cognitis vel damnabat vel absoluebat accusatum, pro rei qualitate, Sed tamen si quid contra æquitatem iudicasset, non id ferebat impunè, siquidem pędahogus & virga iudicem castigabat, & docebat rectius iudicare. Cūm ad hūc modum in schola Persiæ quadam munus & in-

 signe

signe iudicis inter pueros in orbem iret, acci-
dit vt Cyrus puer (q postea Asiæ toti impe-
ritabat.) suo loco iudicis officio fungeretur
Ad hunc puer statura procerior, sed veste
vtens breuiore, accusauit puerū statura mi-
norem, sed veste longiore vtentē: petens ve-
stem longiorem sibi adiudicari: suam verò
minorem minori. Cyrus iudex parte exau-
dita vtraque, sententiam dixit secundū pue-
rum maiorem: vestes inter pueros, minore
quidem inuito, commutauit: idq; æquū esse
pronunciauit vt pares paria habeant: vtan-
turq; grandiores vestitu longiore, minores
breuiore. Et Cyrus quidem ad hunc modū
At magister quæstione de iudicio illo ha-
bita, & Cyrum castigauit, & eius sentētiam
retractauit, docuitq; nō ex proprijs alterius
rebus incōmoda nostra sarcienda esse Neq;
illud vt pares paria habeant locū habere nisi
in ijs rebus quæ ex cōmuni bono distribu-
antur multis. Vbi pro ratione meritorum
virtutis doctrinæ, & prout quisque ad res
aliquas appositus sit gerendas, singula singu
lis distribui par est. Cæterum ex rebus pri-
uatis alicuius, hoc fieri minimè licere: nemi-
nemq; cogendum esse vt nolens alteri rem

tradat suam. Suntne equitum nostrorū fa-
cta atq; postulata illi iudicio Cyri non simi
lima, cū illi opinione proceritatis suæ imbuti
oppidanorum tanquam minorū pagos pe-
cunijs suis veluti vestes minores maioribus
ex lege nuper nata conantur commutare?
Cui quidem legi vtcunq; alicuius tanquā
Cyri authoritatem prætexant, nunquā ta-
men efficient vt pædagogo recta ratione
vtenti factū suū probare possint. Semp pæ-
dagogus docebit vnunquenq; sua incom-
moda aliunde quâm ex rebus aliorum pro-
prijs sarcire oportere. Sed operæ pretium
fuerit causas audire, cur ciuibus dicant non
licere pagos possidere. Quia, inquiunt, non
sunt nobili genere orti: nec licet illis in acie,
inq; primo ordine contra hostē versari: nec
possunt esse rerum militarium locupletes te
stes: satisq; illis esse si rem mercatura alijsq;
opificijs quærant. Hæ quidē causæ (.quā-
tum ego existimare possum.) ab animis no
bilium iratis, parumq; ciuibus æquis, om-
nino proficisci videntur. Quòd si equites of
fensionibus vel Reip. vel certè æquitatis
causa depositis, vti veliēt humanitate & be-
neuolentia aduersus homines ordinum in-

feriorum,nullo sanê opus esset labore causis illis cõfutãdis. Necq verò dubitate,id quod mihi est perspectissimum,permultos nobilium esse optimos viros,ab omni virtute & ab optimarum artium cognitione paratissimos,qui præ se homines ordinum aliorum nullo modo contemnant: tribuantcq eis & testimoniorum fidem quarumlibet reru m, & eas virtutes quæ attingant cuncq naturã humanam.nec de fortitudine illorum dubitent vel in acie co ntra hostem. Verùm quia bona pars equitum vix putant plebeios homines esse.cùm virtutes quas sibi assumunt detrahant illis vel fortitudinis vel veritatis dicendæ,age sanẽ disputemus de illis causis Incipiamus aũt ab ea qua & locum in prima acie contra hostem,& fidem testimonij rerum militarium ciuibus negãt. Necq ego ignoro Socij causam hanc ex patria lege desumptam esse:qua exceptũ est, ne cuiqde re militari dicẽti fides habeatur,nisi vtrocq parente nobili nato : hoc est qui stẽmatis gentilicijs quatuor sit insignis. Contra quam legem si quis putet impiũ esse disputare. huic nos sanê relinquamus iudicium suum, nec patiamur eum esse in cœtu nostro. Nobis

enim

enim Aristoteles noster licenciam magnam concedit de omni re proposita disputandi: necq eam putat legem dicendam esse, cuius ratio nulla extet. Sequar igitur ducis & magistri nostri præceptum ,vt prius explicem vocabula quædam quàm confutem legem illam: atcq adeò qd sit illud quod vocãt rem militarẽ. Illi verò inquiunt res militares esse non quaslibet,quæ à militibus fiant,sed quę in bellis gerantur contra hostem,vt in acie versari,non deserere locũ, non vertere terga nõ abijcere arma , ferire hostem,interficere, & quæ ad bellum pertineant conficiendũ exercere . Hoc igitur ita posito sequitur vt disseramus num ciuibus liceat militares res illas exercere? Id verò ita esse & lippis & pueris perspicuũ est. Ingens numerus plebeiorum fit in bellis aduersus hostem. Quidam fiunt decuriones,quidam nobiliũ ministri,partim equites partim pedites. Qui ipsi in bello egregiam pro virili parte operã nauare solent,multi sunt pares; quidã veró superiores nobilibus multis,ijs gerẽdis quæ in bello necessaria sint. Necq enim illud generis est,nec ordinis ab hominibus cõstituti fortem in bello esse,sed muneris diuini quẽ

admodũ

admodum Socrates verissimè apud Plato-
nem inquit, in deo situm esse & quòd vir sit
fortis, et quòd iners sit ac imbecillis. Qui qui
dem deus ut ex æquo iubet solem spargere
lucem in omnes homines: ita & animũ for-
tem vt vult & quando vult, donat homi-
nibus generis cuiuslibet ac ordinis. Id si ita
est (quemadmodũ certè est,) profecto im-
pudens fuerit qui tribuere sibi velit propriè
quod in omne hominum genus ex dei vo-
luntate sparsum est. Quin etiam si tuũ pro-
priè foret, tamen etiam atq; etiam esset ani-
maduertendũ, omnia in rebus humanis esse
incerta: multos inter æquales domi atq; in-
ter pocula visos esse fortes, qui in acie nulli
fuerint contra hostem: nec minus illud cõ-
siderandum, quàm deus ipse resistat homi-
nibus gloriosis, cûm ita ore Paulino dicit
Quid habes quod non accepisti? Si autẽ
omnia accepisti, cur gloriaris quasi non ac-
ceperis? Sed equites aiunt licere quidem in
bellis esse plebeis: sed in prima acie versari
non licere. Ego verò non sum is qui primũ
negẽ locũ nobilitati domi ac militię. Etenĩ
valere debet is ordo apud omnes & auitæ
virtutis memoria, & veró rerum à se gesta-

rum commendatione. Quis enim id sanus
negauerit? Sic enim statuo vt doctoribus
primæ debentur partes in doctrinę diiudi-
catione: vt professorum iudicio statur in
operũ artis suæ æstimatione: sic nobilitati
primas in re militari deferre æquissimũ fu-
erit. Quę qdẽ res militaris cûm eadẽ nobis
vel pcipue hũc ordinẽ pepererit eadẽ in ho-
nore eũ maxĩe cõseruet, necesse est. Quod
tñ cũ dico, nequaq̃ plebeis locũ negauero in
vniuersum cũ nobilitate, strenuis inquã, for-
tibus, animosis, ad rẽ militarẽ multis prælijs
doctis, alijsq; bellicis virtutib9 præditis viris,
ob quas quidẽ virtutes cum ipsis nobilibus
primas deferamus, cur etiã in quibus illæ re
periantũ nõ eodẽ loco honoreq; digni habe-
antur? an tu timidũ nebulonẽ, bellicis virtu
tibus vacuũ, sola generis excellẽtia cõmen-
datũ, prima in acie collocabis: plebeio post
principia reiecto viro forti & se acriter ad
mortem offerenti? præferes igitur & clau-
dum nobilem in curriculo plebeio pedũ per
nicitate valenti? Hoc quidem si in honori-
bus fieret domesticis & togatis, vbi palmæ
aliquando ijs dantur qui nunquã certassent
esset quidem vtcunq; ferendum, cæterum

in eo loco fieri istud vbi de capite agatur de patriæ salute de aris atq; focis, quis sanus ferat? Age porro quid fieri velles si nobiles viri, in pmo ordine locati vel victi essent: id em̄ in bellis euenire absurdũ nõ est: vel certè pugnando fessi ac viribus defecti: an non in locũ eorũ succedere velles triarios quosuis vel plebeij ordinis viros? ne mihi, quęso obstrepas, me de re, quæ fieri nunquam possit, disputare. Quin potius conuerte animũ & cogitationes tuas ad historias omnium temporum. Illæ te docebunt, martem incõstantem esse: persæpe victores fuisse victos. Vincebant olim Romani, cũm imperarent toti orbi: sed postea & victi sunt frequentissime, & imperium orbis ab eis translatũ est ad Germanos. Quod igitur accidit Romanis, quæso te ne putes fieri non posse quin accidat nationi nostræ. Quod ego quidem tam cupiam nunquam fore quàm quod vehementissimè. Sed tamen de re, quæ fieri possit, age vrgeamus equites nostros. Si fati iniquitate in acie occidissent equites an in locum eorum non velles succedere plebeios? an in primos ordines asciscas solos nobiles? Sit hoc sanè ita: sed quid si nobiles

sint vel

sint vel parum multi vel nõ satis apti ad pugnam, an potius Remp. in periculum patieris venire, quã vt plebei fortes vt fit, & robusti viri, in acie, inq; ordĩe primo se sisterẽt ac profligarent hostem? Quid si tanto numero veniant hostes vt pluribus in locis simul confligendum sit cum illis: enim si vnquam alias, nunc certẽ, Turcica potentia infinite crescente, maxime metuunt prudẽtes viri. Quid igitur, inquam, si tanto num ero veniant hostes, vt primis ordinibus cõtra illos sufficere non possit nobilitas, an negabis locũ in prima acie plebi? certè si amas Rẽp. nequaquam cõmittes istud. Iam verò si licet in acie versari plebeis, si Remp. armis defendere, si in primo ordine prælium inire, si res militares alias exercere, cur etiam non liceat testimonium de illis dicere? Ridiculũ sanè est fortitudinem aut virtutẽ aliam exercere te posse, de qua pro testimonio dicere nihil possis. Nam & Christus dicit Quod vidimus testamur, cur itaq; testimonio non creditis nostro? & philosophi nostri rectè iudicant, non ex fortuna fidem ponderandam esse sed ex virtute. Cũm itaq; nobilitas generis, in bonis fortunæ numeretur: nõ in a-

D v nimi

nimi bonis,in quibus sunt virtutes & scien-
tiæ : profectò lex illa patria valde imperitè
facit cum fidem rerum militarium solis no-
bilibus tribuit,de quib⁹ tam verè ciues quā
ipsi nobiles & iudicare possint & loqui. Iā
veritas inter virtutes locum obtinet,cur igit̄
ab ea arcebimus plebeios,quos certè ab alījs
virtutibus arcere impium sit? Sæpe mirari
soleo maiorum nostrorum prudentiā multis
legibus ferendis,sed in hac lege odio plebe-
iorum lata doleo lapsum eorum turpissimū.
Ita plebeis fidem testimonīj dicēdi abroga-
runt,quasi vel infames essent om̄es quicūq;
nobiles non essent,vel iudicīj nihil habere
possent de re militari. Quid autem,ô bone,
si nobiles,qui fortè rem te præclare gessisse
inbello viderunt,mortui sint: viuant autem
ciues qui te quoq; fortem & animosum vi-
derunt:an nō voles ab ījs testimonium vir-
tuti & fortitudini tuæ tribui? Quid si quis
sycophanta insimulet te stationis desertę an
ne sic quidē voles citari ciues officīj tui præ
clari in Rep.defendenda testes? præsertim
cûm nobiles qui vidissent te fortem,mortui
essent. Ridiculus es profectô q ita tibi pla-
ces fumosis imaginibus istis vt ad tantas ab
surditates

surditates delabaris. Scitis autem Socij quid
doceat Aristoteles noster, Rationē, animā
esse legis : nec eam omnio legem esse quæ
ratione vacet. Vrgebo itaq; adhuc Solones
istos nostros. Quæ tandē causa est cur solis
nobilibus potestas sit testimonīj dicendi de
re militari? an maius est studium veritatis in
illis quám plebeis? aut potı⁹ illi acutius cer-
nant quám isti? aut hoc sit iure optimo mi-
litari ordini concessum vt de militaribus re-
bus soli ipsi testes fieri possint? vix em̄ Quar
tū inuenias quod probabiliter dicatur. At-
qui vt ab extremo ordiar res iste de quibus
agimus,vt posuimus antè bellicæ sunt. Illæ
igitur cum etiā â plebeis (.quod iam osten-
dimus.) exerceanttur,an non ineptum fue-
rit ab omniq; philosophorum consensu ab-
horrēs,quam tu rem facere possis,de ea tibi
loquenti fidem haberi non oportere? Quôd
si vrges nomen ordinis militaris, certè eadē
ratione plerique nobiles parum idonei erūt
testimonio dicendo,vt qui milites non sint.
Error est enim ille non ferendus,& ex scho-
lis explodendus nostris,omnes nobiles mi-
lites esse,distincti em̄ sunt ordines isti. Neq;
enim,si omnes nobiles milites essent, in mi-
litum

litum albū nobiles plerique referrent: quē-
admodum, nemo qui nobilis natus eſt cu-
rat ſe nobilem creari. Perſpicuum eſt autem
nobilium pleroſq; in collegium militum à
regibus cooptari. Qui quidem reges inter
ceremonias cooptationis illis vtuntur ver-
bis. Lyepſſi riczerz niſz panocha, nimirum
ſignificantes militem potiore cōditione eſſe
quàm ſi generis nobilitate contentus eſſet, ac
ne illud quidem verè dici poteſt, acutius &
rectius cognoſci res geſtas à nobili quàm
plebeio. Reſtat igitur vt dicatur ſtudiū ve-
ri maius eſſe in nobilitate. Quod quidē ve-
rè ex parte, non totum dicitur. Vnde enim
tot fraudes illæ, impoſturæ, falſa teſtimonia
inter illos? Neq; præter rem rex noſter tot
conuentibus & ſingularum prouinciarum
& totius regni, egit de abrogando more iu-
ramentorum, niſi quia etiam a nobilitate vi-
det falſo nomen dei paſſim vſurpari. Et pro
fectò in rebus humanis ita eſt vt nullus or-
do tam ſit ab omni virtute inſtructus, quin
vitiorum multis maculis reſperſus ſit ac in-
quinatus Sequitur alia cauſa, cur non liceat
plebeis pagos poſſidere Quia, inquiunt nō
ſunt nobili genere. Hoc verò quid aliud eſt
quam

quam terram ſolis nobilibus datam hos ſo-
los homines eſſe? Cur autem nobiles mul-
tas habent domus in oppidis, & quidē præ
ter ciuiū leges prærogatiuas & muneribus
vacantes? Cur præturas (.quas aduocati-
as vocant.) in multis ciuitatibus tenent? nō
credatis Socij iuſtitiæ inter ciues admini-
ſtrandę ſtudio id fieri, abhorrēt ēm ab omni
ciuiū conſuetudine & iuridicendo aliquem
ciuiū præficiunt. Ipſi tantùm agros poſſeſ-
ſiones, cenſus, & quoſuis fructus percipiunt
Cur igitur, inquā, nobiles et domus et præ-
turas & poſſeſſiones habēt in oppidis, ſi op
pidanis non licet pagos habere? Cur nobi-
les mercaturam exercent, ſi mercatori nō li-
cet villam & agrum colere? nouiſtis, ni fal-
lor, eos nobiles qui pecudū multitudine nu
meroſa côempta, eam tranſmittant in Sileſiā
& in Germaniam. Memini enim de qui-
buſdam veſtrum, qui in Germania aliquā-
do verſati eſtis me audire, agmina pecorum
agros Naumburgenſes ad fluuium, ni fal-
lor Albim, compaſcentiū perſæpe eſſe cō-
ſpecta: quæ pecora ab equitibus quibuſdā
Polonis quæſtus cauſa in intimam Germa-
niam mitterentur. Et tergiuerſant quidem
equites,

perit omnis in illo
Nobilitas cuius laus est in origine sola.

equites, se hac ratione mercatores dici non
debere, vt qui vendendo non vtantur vlnis.
Sed nos ô Socij contẽnamus in nostris scho
lis sophisticas nugas istas, non enim in vlnis
mercandi ratio cognomenq; consistit: sed in
hoc si tu res coëmas non vsus tui causa, sed
vt illis diuenditis quæstum facere possis. di-
uendas sanè vel vlna metiendo, vel integras
res tradendo, hoc non variat rationem mer-
caturæ: quemadmodum rationen nobilita-
tis non variat diuitem esse vel pauperẽ: mo-
dô stemmata numerare possis paterna &
materna nobilis es. Erãt apud maiores no-
stros nobiles, viri fortes, amãtes æqui & ho
nesti. Cùm eñ ipsi virtute meriti essent no-
bilitatis insignia eadem virtute conseruandã
sibi nobilitatem, qua acquisiuissent, putabãt.
Cumq; in omnibus rebus gerendis ad vir-
tutem tanquam scopum, animum oculosq;
dirigerent, prosperabat deus eorũ facta: do-
mi à plebe obseruabantur: foris ab hoste ti-
mebantur, non se commendabant populo
vestitu, non aureis torquibus, non profusis
epulis, sed humanitate in plebem, amore in
Remp. fortitudine in hostem, amari volle-
bant à suis, non timeri. Et hoc quidem tem-
pore

pore permulti sunt profectò nobilissimi viri
similes illorũ: sed multos etiam inuenias dis-
similimos, qui tum se putent verè nobiles cũ
aliquid de ciuibus cõsuluerint grauius quã
expedit. Itaq; & pagos illis eripere conant̃
& cùm detestentur ordinem mercatorum,
ipsi mercaturam rerũ quarundam (. præter
vlnariam, quam solam infamant.) exercent:
& præ se hominẽ putãt esse neminẽ. Quid
enim est hoc tribuere alicui hominis nomẽ
cui detrahas hominis ornamenta, studiũ ve-
ritatis, pondus & authoritatẽ testimonij di-
cendi de rebus præclaris. Cumq; deceat v-
numquenq; hominem aduersus infimos se
summisse gerere, meminisseq; illius DEVS
superbis resistit, modestos amat, pleriq; equi
tum tũ se pręclare putãt explesse munus no
bilitatis, cùm fortiter miserã plebem despi-
ciant, cùm eos de suorum numero excludãt
cùm nõ dignentur eos consessibus suis cùm
agros & possessiones eis eripiant. O mores
peruersos, o disciplinam labefactatam. Pu-
tatis aũt Socij veras esse causas illas quas in
ore habẽt, cur ciuibus pagos auferri velint.
ne quis vestrum hoc sibi patiatur persuade-
ri. Si quis enim deus daret nobis facultatẽ
inspiciendi

inſpiciendi iſtorũ corda & cogitationes, videremus incredibile illorum odium in plebeios, auariciã ſummam res alienas occupãdi, contemptionem tenuium, & alias peſtes quibus animi illorum infecti, impulſi ſunt ad rogationem perferendã contra legem dei & amorem proximi. Hæ ſunt veræ cauſæ legis illius iniquæ non illæ quas prætexunt An verò vobis Socij non ad interitum hęc ſpectare videntur? non opus eſt prædictionibus aſtrologicis. inſolentia hæc & licentia immoderata profectò non aliud huic regno quàm interitum portendit. Audiet eñ deus ille gemitum plebis. vlciſcetur tantum deſpectum populi ã ſe redemti: hancq; nouam & inanditam cupiditatem res alienas occupandi, eripiendi ciuibus fundos, quos illi iure ac legibus emerunt: quos ab auis & proauis precio emptos poſſederunt: quos legum præſcriptione tenuerũt: diligentia ac cultura fructuoſos reddiderũt necq; vlla cœleſtia portẽta hominibus moderatis & in futurum longè proſpicientibus maiorem terrorem incutient quàm cùm videbunt pelli ciues per iniuriam bonis iure ac legibus poſſeſſis? cùm odioſum illud (.quod victores

olim

olim vſurpabant dominantes victis), renouabitur carmen.

Hæc mea ſunt veteres migrate coloni.

Nobis verò Socij qui ã pueris in luce literarum verſamur quanta caligine ac obſcuritate inuoluta omnia videbuntur? Docuerunt nos magiſtri noſtri iure quencq; tenere rem quam teneat ex empto & ex ſponſo: quã pactione hõibus qꝫ ad tabulas factis conquiſierit: quam ab auis & proauis bonæ fidei poſſeſſoribus hæreditatis nomie acceperit: quam legis præſcriptione multos annos poſſederit. Has veri dominij leges tradiderunt nobis magiſtri: has regulas ex natura ortas: has rationis præſcriptiones. Huic clariſſimæ veritati, quas tenebras: prõ dij immortales obducere conantur iſti rebus alienis tanquã eſurie͂tes lupi inhiantes? Dico igitur legem illã de pagis ciuibus adimendis inhumaniſſimam eſſe: ab omni ratione prorſus alienam: legibus diuinis & humanis repugnantem: à noſtris verò philoſophicis decretis plus diſtantem quam cælũ à terra diſtet. Itacq; ei locum in Senatulo noſtro nullum reliquendum, Eamcq; authoritate academiæ noſtræ carbone notandam

 cenſeo

censeo: nec dignā puto cuius mentio vlla fiat in cœtibus nostris, nisi tum cum in morum peruersitatē inuehi necesse erit. Quod si mihi in Senatu regni dicendum esset, certè sententiam, quam dixi non mutarē: mallemq́ author esse & legis illius âbrogandæ quæ fidem & religionem testimoniorum in totū derogat plebi de rebus bellicis: & huius edicti de pagis ciuibus adimēdis quàm vt suasor essem crudelium & impiarum legum, nec desinerem orare atq́ obtestari regem vt moderaretur equitum consilia & à crudelitate flecteret ad humanitatem & æquitatem. Id si impetrare non possem tentarem alia via ingredi: suaderemq́ regi vt potius pagorum quorumuis possessores oppidanos, nobiles crearet: quàm sineret in eos tyrrannidem bonis illorum eripiendis, exerceri. Profecto enim nobilis creatus non minore loco esset quàm erant maiores nostri: qui ipsi beneficio principium nobiles facti ad nos nobilitatem, quamvirtutis ergo acceperant, transmiserunt. Quòd si tanti apd' nos sunt nobiles creati vt partim in collegia sacerdotū soli nobilitati patentia sint cooptati, partim digni habiti summis Reip. hono-

ribus

ribus, cur non etiam idonei putarentur vel testimonijs rerum militarium dicendis vel pagis possidendis? Si verò neutrum illorū facultatem habere posset, vt nec leges illæ abrogari, nec oppidani nobiles creari possēt: sed ratum maneret atq́ firmum agros & possessiões eis eripere, ego nihilo minus vel contradicentibus omnibus mea voce vellem testari me non assentiri tam impio decreto: mallemq́ imitari Nicodemum illum qui in medio concilij sedens nō assensus est impijs sententijs. Itaq́ vel voce mea testarer me non cōsentire sententiæ impiæ, vel omīo de Senatu surgerem: nec vellem ibi esse vbi tam horrēda decreta scriberentur, nec scriba tam impiarum legum esse sustinerem. Nō excusabit in die illa suprema Pilatum timor cæsaris: quo impulsus est ad sententiam in Christum innocentem sanguine scribendā, non quidē ex animi sui sententia sed ad Iudæorum arbitrium. Itaq́ nec regem nostrū nec Senatum nec scribas excusabūt iniusta. decreta, quæ ex equitum arbitrio ferant scribantq́ contra iustitiam, Christum enim in membris suis fama & bonis eos spoliantes, crucifigere nituntur. Itaq́ non mirum erit

cúm&

" Vide vitam Petri Kmitae vna cum annalibus Orichouii editam, Dobromili.

Iste Leonardus postea episcopus Camenecensis fuit.

cum & locustæ deuorabunt omnia sata agrorum, quos scelerate optant eripere populis Christi sanguine nobilitatis: & pestis sæuiet: & rapientur pleriq; ab hoste, secũdum verbum Esaiæ prophetæ capite 33. ita dicentis VAE qui rapis, quia & tu rapieris, væ qui contemnis, quia & tu contemneris Non mirũ erit cum totæ familiæ excindẽt quemadmodum Achab cum vxore filijs. consiliarijs & sacerdotibus ob iniurias Nabotho & viris alijs factas excisus est. Has enim plagas vt scitis, Leonardus Cracouiensis ecclesiastes ad diuæ Mariæ, magna cũ authorithate ex pulpito huic regno, ꝑpter tyrannidẽ imminere prænunciat: cuius ego prædictiones verissimas esse iudico vt pote à dei verbo profectas, longeq; veriores quàm omnium fatidicorum. Itaq; non vellem, vti dixi, nec in tali cœtu sedere, secundũ verbum Dauidis illud. Odi congregationẽ malignantium & cum impijs non sedebo: nec scriba esse tantæ impietatis. Erat Daniel propheta vnus principium regni Persici, Hic non consensit impio decreto regis sui. Quod quidem decretum summo principum omnium, magistratuum, satraparũ

Senatorũ

Senatorum & iudicum consensu latũ erat. Sed quia impium erat, contra illud Daniel palàm, & (.vt narrat historia.) apertis fenestris facere non formidabat: idq; vsq; eo vt tandem maiestatis læsæ damnatus in lacũ leonum detrusus sit. Sed deus ei veluti in media morte adfuit. Itaq; & ipse ex faucibus Leonum liberatus est: & accusatores eius à rege damnati sunt: & rex ipse cognito errore suo decretum scribere contrarium ad populos suos non dubitauit, neq; veró putauit rem indignam maiestate sua rescindere decretum suum iniquum: cũm contra decreta iniusta quæ temere & pertinaciter defenduntur multũ de authoritate & existimatione regum detrahant ac diminuant. Qua pœna vix profecto aliquid grauius accidere magistratui potest, Qui amissa authoritate contemptui vulgo habentur: neq; populum in officio retinere possunt. Rogemus igitur deum primum vt hæc seriò cogitet rex cum magistratu & omnibus qui sunt cum potestate: deinde vt ne boni viri velint authores esse scriptoresq; perniciosarum legum. Tum etiam vt horum in Rep. authoritas maximè vigeat qui secundum

 diuinã

diuinã Platonis sententiam studia philoso-
phica ad potentiã adiunxerũt. Dixi quod
habui. Aueo iam audire quæ sit cuiusquæ
vestrum hac de re mens & sententia. Dixi.

HERMENES LECTORI. S.

Non ignoras lector ciuis nomen apud Latinos esse honestissimum, eiusq; appellatione & Senatores cõtinere & equites, & quosq; nobilissimos uiros. Itaq; Philalethes magis Polonice facit quám Latiné cùm distinguit ciuem à nobili in hac ratione. Est & illud consyderandum. Philaletem seruire suæ hæresi, cùm in fine orationis optat authoritatem illorũ summam in Rep. esse qui philosophicis studijs sint imbuti. Etenim Plato tum Resp. fœlicissimas fore dicit, cùm aut philosophi gubernabunt, aut gubernatores philosophabuntur.

Vale.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA. MATTHIAE SCHARFENBERG. GRACCHOVIAE. M. D. XLV.

36

ERATTA SIC EMENDABIS

Folio. A.2. *facie.1. uersu.13. me hominem* A.4.i 14 *ac hominum* A.4.2.7. *Sin à prud* ĩ *uer* 12 Ego *uerò* A.5.1.4 *aliqua absti* A.7.1.5. *occasionem cœdis quæ* & *fa.*2.16 *potest.* Nullæ A.8.1.2 *sanctior* & ĩ *uer* 24 *reprehendatur, et* & *fa.*2.22 *quàm ulla* & *uer* 24. *à iudicijs*

.B.1.1.3 *sit in* & ĩ *uer.*6. *licere* & ĩ *uer* 7 *quid causæ est quin* B.2.2.*ult. minueretur* B.3.1.21. *fundasset,* Et *fac.*2.8. & *in* Rep. & ĩ *uer* 17 *pro regionũ* B.4..1.3 *plectens* & *fac* 2.15 *aliquorum* B.5.1.8 *occidit.* LEGE PENVLTIMA BREVI *et* ĩ *uer.*18. *ignarus, et* ĩ *uer* 23. *præscriptũ.* & ĩ *uer* 24. *potestas, quæ* B.5.2,17 *omnino* & ĩ *uer* 25 *hinc ira* & ĩ *uer ult. occisio* B.6.1.1. *cœmeterio* & ĩ *uer ult. contra* B.7.1.*pen. immortalis,* & *fac* 2.3. *altissimo ?* & ĩ *uer* 7 *pecuniariam ?* B.8.1.*antep. offensionem* B.8.2.20. *dignentur?* & ĩ *uer ult. quidem*

C.1.1.3. *uelit.* Vinco C.5.1.20 *in illum ordinem disp* C.6.1.23. *solennia* C.7.1.1. *hominem non* & *fac.*2.3. *occidit* LEGE PENVLTIMA BREVI C.8.1.3.. *Vidit* & ĩ *uer.*5. *adhærentẽ.* Eam & ĩ *uer* 10 *proponebantur* & ĩ *uer.*15. *postulãti. dep* & *fac* 2.3 *uident.* & Et *ibidem. testes. occidunt*

D.1.1.3 *tantum* & ĩ *uer* 11 *quem* & ĩ *uer* 24 *pædagogus* D.2.2.13. *esse, cũ* Et *uer antep. disputare, huic* D.5.1.7. Id *enim* D.6.1.12. *probabiliter* & *fac* 2.9. *esset.* Ac D.8.2.22. *reddiderunt.* Neq;

E.1.2.22 *ergo* LEGE CVM CIRCVMFLEXO IN FINE *alia facile emendabis*

